[= Mscr. A. 7. Nr. 183]

D. Alberto Hardenbergo Sde

Pax Christi.

Venerande Vir et Doctor clarissime. Scio esse hoc
magnum solamen fratribus e Belgia profligatis quod tuis
exhortationibus operam dare possunt, et quamvis valde me
commonet ipsorum miserrima oppressio, et istica
etati lentores ex opere laboribus proni, tamen gaudeo ta-
lem ipsis contigisse salutaris doctrine dispensatorem
qui dejectos eorum animos excitet atque confirmet.
Sustines magnum onus, nunc quum etas est inva-
lida, sed quod magnitudine fructuum abunde et libera-
liter pensatur, nunc potissimum quum in oculis sita
est meta salutis eterne ad quam hactenus alacriter
fortiterque contendisti. Equidem homunculus nostro
vix consenescens debilitari mihi vires omnes tum
animi, tum corporis sentio, amens sane ut qui pre-
ter arduum onus laboriose functionis tam acerba
circumferre familie mee vulnera: tamen promi(?)
fidei modo subinde mentem erigo, mihi iusto, me ipsum
extimulo, defixis in celum oculis, unde robur et so-
latium exspecto. Quod nisi id esset factum, dedis-
sem me angoribus, quibus non debilitatus modo
tum nunc quidem, sed plane absumptus essem, pro-
inde illud fuit misericordie Christi, quod quum me in
graves luctus coniecisset, quantum per [illegible] fieri
potuit, ab atrocibus malis meam cogitationem averti
et conversus ad precationem, meipsum eius clementie
meaque dulcissima viscera sacrificavi. Interea cumulate
sepe recurrunt dolores et suspiria, quorum oblivis-
ci non possum. Reluctor tamen sedulo ut possim sus-
esse vocationi meae presertim quum sentio me-
tum hoc qualecunque ministerium haud procul a me-
abesse. Mi Domine et frater dilecte, qui non igno-
ras animi mei dejectionem, et simul mihi consci-
es infirmitatum vite superioris, velis obsecro in
tuis precibus etiam mei memor esse, propter id
hospitium quod mihi Breme tecum fuit non tam di-
uturnum quam iucundum et salutare, cuius recordati-

ore nunc quoque in magnis angustiis non mediocriter
me consolor. Neque unquam desinam confiteri, tum apud De-
um, tum apud homines maximis me tibi beneficiis per-
petuo devinctum esse. Vale. Nam scio te curis et laboribus
te esse distentum: ut necesse sit prolixe distrahere tuum
animum scholastica loquacitate. Nec postulo, reverende
Doctor, ut meis ineptiis quidquam respondeas, satis est, si hoc
assequor ut intelligas ex tuis immortalibus erga afflicta-
tam Ecclesiam officiis meos erga te amorem, studia, obser-
vantiam (quod fieri posse nunquam putaram) magnum incre-
mentum accepisse. Rursum vale tum meo tum Francisci nostri
nomine, qui etiam te cupiebat cum scriberem iterum nisi sese
tuae pietati commendari. Deus clarissimam coniugem tuam
laboris tui vitaeque solamen prosperet diuque servet. Amen.
Kal. Januarij 1568. [illegible]

Johannes à Molany.

M. Georgio Sylvano in Flandria 134)

Pax Christi.

Venerande frater Georgi Silvane cognovi jam pridem multo- [= Maer. a. 2: Nr. 184]
rum fratrum testimonio quam fidelem operam impenderis
Patriae nostrae in amplificanda justitia regni Dei et Domini no-
stri Jesu Christi. Haec una mihi satis vehemens causa est,
ut te sincere diligam et ardenti benevolentia complectar.
Quamquam enim omnes, in quibus aliquid est Dei, diligere debemus,
tum eos imprimis, quos Deus segregavit ad procurandam
multorum salutem quae est gloria ipsius. Sane mihi est
optabilius, nihil dulcius, quam cum synodi viris Dei zelo
inflammatis vel toto aevo consumi. Nihil sunt caetera
vitae commoda si cum arcano illo fraternae societatis sola-
tio comparentur. Quae quidem ego quia domi jam fere
destituor subducta coniuge carissima simul et piissima,
tum etiam sublatis e medio tribus idoneis ministris quo-
rum fide et diligentia doctrinae puritas utcunque reti-
nebatur: proinde feras profecto, si literis et qua possum
animi contentione me meque adjungo coram [illegible] quibus
qui ex sinceritate Dominum diligunt et colunt. Interea
exercitia sanae doctrinae et legitimae vocationis, quae
mihi Magistratus in scholis libera esse voluit, per gra-